

1524. d. g. Augusti

193

Petrus Cracoviensis et Poznaniensis episcopus,  
et viceregentarius regni, Joanni Dan-  
tisco Secretario et Oratori regio ad caesarem.

Tom. III p. 113.

62

Nobilis et egregie domine, amice charissime. Pro-  
pter insperatam iniuriam regie maiestati, et vere-  
rissima eius coniugi domina regina in adempta  
possessione Ducatus Barenensis illatam, extrusus  
est hinc ad nos dominus Doctor Bork, qui cum  
quibus mandatis et instructionibus isthuc mis-  
sus sit, plane te informabit, declarabit etiam  
tibi, quanta caedes, quantaque perturbatio sit hic  
in regno nostro facta. Duo enim potentissimi exer-  
citus, alter Turcorum, alter Tartarorum, terras  
nostras Russia successive unus post alterum  
ingressi, illas crudelissime ferro et igne vasta-  
runt, ingentem hominum et pecorum praedam  
abegerunt. Tabescit animus audire miserorum  
hominum fletus, imprecationes, quarum plena  
sunt hic omnia, et certe pro dolore et animi  
angustia, plura scribere de his non possum.  
Praedixerunt iam pridem astrologi et alii divi-  
nauli, hunc annum periculosissimum omni-  
bus provinciis et regnis futurum, quos quem-  
vis ridere plerumque soleamus, sumus tamen  
nunc magno nostro malo capessi, vaticinia et  
predicationes illorum non omnino vanas et  
futiles esse. Maestas regia die crastina hinc  
egreditur Sandomiriam versus, omnesque sub-  
ditos ad arma secum vocat, mandans ut ea qua-  
libet

ex qualibet civitate, opido et villa, decimus quisque  
que homo robustior, ad extinguendum commune  
incendium expediat. Nuntiatur enim nobis  
pro certo, quod tury hostes, et hi quidem numero:  
rosi adventant, ad funditus delenda et exurenda  
dominia nostra. Deus meliora prospiciat, in  
cuius manibus sunt omnes potestates et omnia  
regna. Habeo tibi magnas gratias, quod mihi  
frequenter scribis, et ut idem perpetuo facias  
hortor te et plurimum rogo. Cetera que hic agun-  
tur, referet tibi dominus doctor Borgk. Bene  
vale mei memor. Datum Cracoviae die nona  
Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo  
vigesimo quarto.

Joannes Cracoviensis et  
Posnaniensis episcopus  
et vicecancellarius

Nobili et egregio domino Iocanni  
Dantisco, Secretario et Oratori  
regio, amico charissimo